



## **Svmma Juris Canonici**

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,  
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,  
pertinent

Sive Antinomia Ivris Pontificii Et Cæsarei - per CCL. Differentias plurium  
Doctorum auctoritate probatas, singulari studio in certas classes reducta,  
discussa, & explicata

**Strein, Johann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1658**

CLXXII. Differentia 36. [i.e. 43] Secundùm Canones tenetur quis furem  
indicare, nec pro eo quiquam accipere potest,

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61864)

Secundum Canones tenetur quis furem indicare, nec pro eo quicquam accipere potest, c. *Qui cum fure*. De *furt.* secus iure civili l. *si ob turpem*. ff. De *condict. ob turp. caus.* l. *solent*. ff. De *præscr. verb. lo.* Bapt. à. S. Blas. 98. Galvan. 72.

**I** Brevis, & nervosa est cap. *Qui cum fure*. sententia. Qui cum fure partur, occidit animam suam. Non tar solùm, sed ille reu tenetur, qui furti confcius quærente possessore non indicat. *ibi Gloss.* Habes hic, quod quis tenetur indicare furem : imò quodlibet peccatum patratum, aut patrandum, quod recipit augmentum, multiplicationem, aut continuationem mali. *Angel. & Silu. in V. Denunciatio n. 2. Caus. l. 4. tt. 9. l. At. at.* cur furti reos potius indicare, quam aliorum criminum Sacri Canonis mandant, siquidem, teste *Soto l. 5. De iust. Q. 3. art. 1.* furtum est minimum inter peccata contra Decalogum, quorum aliqua famam proximi alia vitam tollunt? An quia communitatis quietem & tranquillitatem turbat domesticos meru complet, cives inter se committit, fiduciam amicis eripit? Denique non minus vitæ aliorum, quam fortunis infiditari, & quicquid sumipuit alienâ morte resturus fur creditur. Quam ob causam leges cum telo deprehensum etiam interdiu necare permittunt. *l. Itaq. ff. ad l. Aquil.* Meritò igitur indicandi fures, & furta sunt, ut ma è ablata sibi quisque recuperet, curæ ac suspiciones cessent, nec ad indagandum fortilegi, ac divinatores adhibeantur.

11. Quod jus civile atinet *Go strifr.*

*adl. si ob turpem caus. ff. De condict. ob turp. caus.* colligi inde putat neminem tenent ad furem iudicandum, qui verò non indicant fures, aut servos fugitivos non censeri fures, & si quid eo nomine acciperint, culpâ vacare, nec timendam illis conditionem ob turp. causam. Quod facile intellectu est, attendendo Theologorum distinctionem. In manifestatione furis, aut cuiuscunq; rei duo sunt, ipse actus manifestationis, qui à justitiâ vel charitate imperari potest, & labor ipsi conjunctus, cura, vel industria. Quatenus est virtutis actus, nullo pretio, aut premio temporali compensari potest, ut nec pro deposito, aut re inventa conservata aliquid pecunia estimabile exigi potest, sed labor & molestia tali operi annexa, cum nihil spirituale sit, mercedem, aut premium exigit. Atq; ita in totâ materia Simonie Theologi morales, & Canonistæ ratiocinantur, quærentes, quo jure ministri Ecclesiæ, pro orationibus, sacrificijs & Sacramentorum administratione reditus accipiant. Nec alius est legum, quæ pro contraria parte citantur intellectus, quam pro indicio furis, aliove justitiæ actû recipi nihil posse, si demas laborem, & impensas. *V. Dom. Soto l. 7. De iust. c. 3. art. 1. Less. c. 18. Dub. 4. & c. 40. Dub. 3. n. 14. Laym. l. 3. tit. 4. c. 1.*

A a 2

CLXXIII.